

**<Lib. II, Q. 3, A. 3: Utrum forma reponens hominem in esse specifico habeat positivum contrarium vel formaliter privativum>**

1. Tertius articulus erat iste: utrum forma reponens hominem in esse specifico habeat positivum contrarium vel formaliter privativum.
- 5 Pro cuius declaratione sic procedam: primo praemittam quasdam distinctiones de contrarietate; secundo iuxta membra distinctionum erit duplex consideratio explanans articuli difficultatem.

**<Subart. 1: Praeponuntur aliquae distinctiones>**

2. Quantum ad primum est advertendum quod contrarietas potest sumi duplice: uno modo proprie et stricte et pro omni eo quod ex propriae formae inclinatione est alteri incompossibile in eodem, et sic generaliter dicimus quod albedo contrariatur nigredini et caliditas frigidati. Secundo modo sumitur contrarietas communiter et large pro omni eo quod est alicuius a fine proprio retractivum, et sic omne prohibens aliud ne suum finem consequatur est sibi proprium.
- 15

3. Primus modus subdistinguitur secundum quod duplice potest intelligi aliquae esse incompossibilia in eodem: uno modo effective, alio modo consecutive. Ut dicatur contrarium effective quando ex inclinatione propriae formae est alterius corruptivum, sicut 20 apparel in qualitatibus primis quae sunt activae, utpote caliditate et frigiditate, siccitate et humiditate. Consecutive contrarium potest dici illud quod ex natura propria non est activum, sed provenit ex sequela contrariae actionis, sicut apparel in qualitatibus secundis quae secundum philosophos non sunt activae sed passivae, sive potius sicut 25 albedo, nigredo et sic de similibus, quae sunt sequelae contrariae actionis, et secundum hoc dicitur quod quaedam sunt contraria prima et quaedam secunda.

**<Subart. 2: Duplex consideratio explanans articuli difficultatem>**

- 30 4. His distinctionibus praemissis, consequens est considerare si aliquo praedictorum modorum forma reponens hominem in esse specifico habeat contrarium. Erit igitur prima consideratio investigare si anima intellectiva habet contrarium suae essentiae corruptivum. Secunda consideratio erit si habet contrarium ipsius a fine proprio 35 retractivum. Ubi etiam investigabitur multiplex differentia prohibentis aliquid ne finem proprium consequatur.

**<Consideratio 1: Si anima intellectiva habeat contrarium corruptivum>**

---

233,19 inclinatione] materiae add. sed del. C

C 216rb     **5.** Quantum igitur ad primum advertendum est quod notitia contrarietatis in nobis ortum habet ex notitia corruptibilitatis rerum. 40  
 Ex hoc enim quod experimur aliqua corruptibilia arguimus in ipsis formas sive rationes contrarias, et corruptibilitatem in rebus experimur ex activitate rerum, quoniam ex hoc quod videmus aliqua ad invicem applicari, videmus ipsa ad invicem agere et pati, et in fine actionis videmus unum non esse et aliud permanere. Actio igitur et 45 transmutatio rerum induxit nos ad notitiam corruptibilitatis et ex corruptibilitate arguimus contrarietatem, quia simile a simili non corrumpitur sed potius conservatur.

**6.** Et ex ista deductione appareat quod naturaliter omne corruptibile habet contrarium, et quodlibet habens contrarium est 50 corruptibile. Ad videndum igitur numquid forma reponens hominem in esse specifico habeat contrarium, congruum est respicere si sit corruptibilis per naturam.

**7.** Pro cuius declaratione praemitto unam distinctionem de corruptione quod duplice corruptio sumitur: uno modo generaliter, 55 et sic idem est quod destructio. Et sic etiam suum oppositum quod est generatio, quando sumitur generaliter, idem est quod inceptio. Et sic ad praesens non intendo investigare si talis forma sit corruptibilis, id est desinibilis, quia absque dubio potest non esse ex Dei omnipotentia. Alio modo sumitur corruptio pro rei desitione ex intrinseca rei 60 condizione proveniente, et sic dicimus elementa esse corruptibilia et ex his composita. Et secundum hoc appareat quod corruptibilitas quaedam est extrinseca et quaedam intrinseca, et de ista videlicet corruptibilitate intrinseca ad praesens volo loqui naturaliter procedendo. 65

### <Conclusio 1>

**8.** Pro quo exsequendo undecim pono conclusiones corruptibilitatem rerum intrinsecam indicantes. Quarum prima est ista: compositio ex materia et forma indicat id de quo dicitur fore corruptibile per naturam. Ista conclusio sic probatur, quoniam appetitus rerum naturalium non est frustra, nam ex I *De caelo et mundo*, “Deus et natura nihil agunt frustra.” Cum igitur materia prima sit ex sua natura appetens diversas formas, sequitur quod naturaliter consequetur illas, vel ergo simul vel successive. Sed non simul, quia tunc cessaret eius appetitus si haberet omnes ad quas est in potentia, et sic naturaliter rerum generatio cessaret, quod falsum est. Igitur ipsas habebit successive, et tunc ex adeptio formae subsequentis carebit

---

233,71 De caelo] ARIST., *De caelo et mundo*, I, c. 4 (A, c. 4; 271a 33); Auct. Arist., ed. J. HAMESSE, p. 161: Deus et natura nihil faciunt frustra.

80 forma praecedente, et sic cum non remanebit sine materia, sequitur quod finaliter corrumpetur. Et ex hoc sequitur quod talis compositio indicat aliquid fore corruptibile; quare propositum.

**<Conclusio 2>**

9. Secunda propositio est ista: elementaris mixtio indicat id de quo dicitur fore corruptibile per naturam. Ista propositio apparet, quoniam quodlibet elementum appetit naturaliter suum locum ut experientia docet, nam leve sursum, grave deorsum. Si ergo in aliquo est elementaris mixtio, sequitur quod in eo sunt partes appetentes naturaliter diversa loca, et iste appetitus est naturalis; ergo quandoque consequetur suum optatum, et per consequens in tali est appetitus separationis. Sed ex positione sequitur corruptibilitas, ergo sequitur manifeste<sup>104</sup> quod elementaris mixtio propter elementorum appetitum varium indicat id de quo dicitur fore corruptibile per naturam; quod est propositum.

C 216va

**<Conclusio 3>**

10. Tertia propositio est haec: ex materiali principio passiva productio indicat id de quo dicitur fore corruptibile per naturam. Ista conclusio sic probatur: quodlibet quod fit ad suppletionem alicuius defectus est indicativum ipsius defectus; sed productio passiva ex materiali principio intenditur a natura propter suppletionem alicuius defectus; ergo est indicativum illius defectus. Cum igitur talis defectus sit corruptibilitas, sequitur propositum. Consequentia et maior patent. Et minor apparet, quoniam generatio est propter hoc quod unum individuum non potest conservare continue totam speciem, et per consequens generatio intenditur a natura ut evitetur subiecti corruptio. Et hoc est dicit Philosophus, II *De anima*, quod generatio fit ut participetur immortale et divinum in specie, quod non potest in uno individuo perpetuari, et per consequens generatio est corruptionis indicativa; quare propositum.

**<Conclusio 4>**

11. Quarta propositio est haec: augmentativa mutatio et alterativa mutatio, cuius finis est generatio, indicant id de quo dicuntur existere corruptibile per naturam. Ista conclusio sic probatur. Et primo de alterativa sic: omnis alteratio, cuius finis est generatio, indicat

---

100 maior] apparet add. sed del. C

---

104 Philosophus] ARIST., *De anima*, II, c. 4 (β, c. 4; 415a 26-b 1); Auct. Arist., ed. J. Hemesse, p. 179: Habent spontaneam generare sibi simile ut esse divinum et immortale participant secundum id quod possunt.

generationem; sed omnis generatio, sive quod idem est ex materiali principio passiva productio, indicat corruptibilitatem ut dicit praecedens conclusio; ergo et omnis alteratio, cuius finis est generatio, indicat illud idem. Consequentia et minor patent et maior similiter; quare propositum. Dico autem alteratio, cuius finis est generatio, quoniam duplex est alteratio; quaedam perfectiva in cuius fine nihil corrumpitur, sicut appareat in aere tenebroso ex praesentia lucis ubi nihil corrumpitur. Et ex ista alteratione non possemus arguere illud de quo dicitur fore corruptibile per naturam, sicut appareat in corporibus caelestibus quae sunt astrorum luminis susceptiva.

**12.** Alia est alteratio de qua dictum est in conclusione, quia ex hoc probatur de augmentativa mutatione, quoniam quaelibet talis indicat alterationem cuius finis est generatio, quia in omni augmentatione est continua generatio et per consequens praevia alteratio, quare sequitur quod tam alterativa mutatio, cuius finis est generatio, quam augmentativa indicant naturaliter id de quod dicuntur existere corruptibile per naturam; quod est propositum.

**<Conclusio 5>**

130

**13.** Quinta propositio: ex excellentia activi supra passivum experimur aliquando aliquid fore corruptibile per naturam. Ista propositio appareat in potentiis sensitivis respectu suorum obiectorum, ut patet de visu respectu solis et de auditu respectu soni, et de tactu respectu frigidi, et sic de aliis potentiis sensitivis ubi excellentia sensibilis corrumpit sensum; et hoc est quod dicit Philosophus, III *De anima*: excellens sensibile sensum corrumpit.

135

**14.** Sed hic forsitan DICITUR quod hoc non provenit in sole ratione sui fulgoris, sed potius ratione caloris qui alterat organum et ex hoc sensus visus alteratur. Sed QUAMVIS hoc sit verum, tamen non impedit C 216vb propositum. Constat enim quod lux vel calor non contrariatur complexioni organicae, et tamen in aliquo medio aequo disposito secundum calidum et frigidum, adveniente maiore fulgore, frangitur visus ut experientia docet in reflexionibus specierum rei fulgidae supra speculum vel aliquid tersum; quare propositum.

140

145

**<Conclusio 6>**

**15.** Sexta propositio: communicatio aliquorum in materia arguit in eisdem corruptibilitatis mutuam rationem. Ista propositio, licet dependeat ex prima, tamen appareat quoniam elementa agunt ad invicem et patiuntur, et secundum hoc corrumpunt se invicem

150

---

**115** praecedens conclusio] Cf. supra n. 10. **136** Philosophus] ARIST., *De anima*, III, c.13 (Γ, c. 13; 435b 7-9); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 189: Excellens sensibile corrumpit sensum.

secundum aliquas ipsorum partes, et tamen similis approximatio quoad situm est ignis ad concavum orbis lunae quae est convexi aeris ad concavum ignis. Sed constat quod ex prima approximatione nulla provenit corruptio mutua, sed ex secunda; sic ergo aliqua est ratio  
 155 inducens ex una approximatione approximatorum mutuam corruptibilitatem quod non est in alia. Istud non videtur nisi propter aliquid quod est commune approximatis in una approximatione; tale autem non est forma cum sit principium agendi; ergo oportet quod sit materia ex cuius machinatione provenit naturaliter omne malum.

160

## &lt;Conclusio 7&gt;

**16.** Septima conclusio est haec: fatigabilitas actione potentiae indicat id de quo dicitur fore corruptibile per naturam. Ista conclusio sic probatur, quoniam omnis fatigatio est alterationis cuius finis est generatio indicativa; sed ipsa ex quarta conclusione est corruptibilitas  
 165 indicativa; ergo propositum. Consequentia patet. Et maior probatur, quoniam fatigatio provenit ex debilitate virtutis activae propter remotionem condicionis fortificantis vel approximationem alicuius condicionis contrariantis; sed in qualibet tali mutatione est alteratio corruptiva; ergo propositum, et propter hoc satis est per experientiam  
 170 nota.

## &lt;Conclusio 8&gt;

**17.** Octava propositio est ista: subiacentia temporis indicat id de quo dicitur corruptibilitatis portionem existere subiectivam. Ista conclusio sic probatur: quoniam quodlibet quod senescit indicat corruptibilitatem; sed quodlibet subiacens tempori senescit; ergo quodlibet subiacens tempori est corruptibilitatis portio subiectiva. Consequentia et maior patent. Et minor probatur, quia sola illa quae incipiunt et desinunt subiacent tempori, et per consequens omne quod subiacet tempori incepit esse et desinet esse; sed quodlibet tale,  
 175 videlicet quod incepit esse et desinet esse, senescit; ergo quodlibet subiacens tempori senescit; quare propositum.

## &lt;Conclusio 9&gt;

**18.** Nona propositio est ista: quodlibet de quo corruptibilitatis condicio naturaliter dicitur, sub aliquo praedictorum modorum realiter continetur. Ista propositio per sufficientem divisionem sic declaratur:  
 185

**152** lunae] est add. sed del. C

**159** materia...malum] Resp. ARIST., *Physica*, I, c. 9 (AL VII-1, 39; A, c. 9; 192a 14-16); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 142: Privatio quae est in materia multotiens machinatur ad maleficium. **164** quarta conclusione] Cf. supra n. 11-12.

quodlibet mobile est corpus; sed quodlibet corruptibile est mobile; ergo quodlibet corruptibile est corpus. Maior appareat per Philosophum in multis locis, et maxime VI *Physicorum* ubi illam ex intentione probat. Et minor appareat, quoniam ut patet in *Postpraedicamenta*, corruptio inter mutationis species contineatur, et tunc ultra corruptio 190  
 217ra corporis generaliter: vel provenit ex separatione suarum partium essentialium et hanc corruptionem indicat compositio ex materia et forma; vel provenit ex separatione suarum partium miscibilium et hanc denotat mixtio elementaris quia universaliter omne compositum ex materia et forma vel est elementum vel elementatum, vel provenit 195  
 ex condicione generationis passivae, et sic generaliter quaelibet forma elementaris vel mixta est corruptibilis per naturam, quia quaelibet talis ex potentia materiae derivatur, et hanc denotat tertius modus; aut provenit ex alteratione partium ad invicem et hanc denotat quartus modus; aut provenit ex excellentia agentis supra passum, et hanc 200  
 denotat quintus modus; aut provenit generaliter ex materiali principio in quo agens et patiens communicant; aut ex ipsius potentiae condicione fatigabili; aut ex certa rei periodo; et hos tres modos denotant ultimae propositiones.

**19.** Reductio omnium istorum modorum potest sic sumi, quia ex alteratione provenit rei corruptio; aut ergo alteratio provenit ab intrinseco, aut ab extrinseco. Si primo modo, aut hoc est ex vario appetitu materiae, aut ex vario appetitu partium miscibilium, aut ex qualitate formae sumpta per viam generationis; et sic sunt tres primi modi. Si secundo modo, videlicet provenit alteratio hoc est ab extrinseco, hoc est aut ex inferente passionem, aut ex mutua actione, aut ex propria passione; et sic sunt alii tres modi. Sed hos omnes generaliter inducit alteratio et tempus mensurat, et sic sunt alii duo. Et ita videtur quod generaliter ex notitia alicuius istorum modorum arguimus rem fore corruptibilem. 215

#### <Conclusio 10>

**20.** Decima propositio est haec: forma reponens hominem in esse specifico a corruptibilitatis limitibus existit naturaliter peregrina. Haec conclusio potest sic probari ex praecedenti deductione: quodlibet

**187** Philosophum] Cf. ARIST., *Physica*, IV, c. 14 (AL VII-1, 188; Δ, c. 14; 223a 17-20); eiusdem *Physica*, VII, c. 5 (AL VII-1, 274; H, c. 5; 249b 30); eiusdem *Physica*, VIII, c. 6 & c. 10 (AL VII-1, 306-307 & 339; Θ, c. 6 & 10; 258a 25 & 267a 22-23); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 154: Omne corpus est mobile et omne mobile corpus. **189**

Postpraedicamenta] ARIST., *Categ.*, c. 14 (AL I-1, 39; c. 14; 15a 13-14): Motus vero sunt species sex: generatio, corruptio, crementum, diminutio, commutatio, secundum locum translatio. **219** praecedenti deductione] Cf. supra n. 19.

220 corruptibile est corpus; sed nulla substantia intellectualis est corpus; ergo nulla talis est corruptibilis. Consequentia patet. Et maior ex hoc, quoniam omne mobile est corpus; sed quodlibet corruptibile est mobile; ergo est corpus. Et minor est nota, quoniam quaelibet substantia intellectualis est non-quanta. Et tunc ultra: sed forma reponens hominem in esse specifico est substantia intellectualis, ut praehabitum est in primo articulo; ergo sequitur quod est a corruptione naturaliter peregrina; quod est propositum.

**21.** Praeterea, si esset corruptibilis: aut intrinsece, aut extrinsece. Non primo modo, quia talis corruptio provenit vel ex appetitu materiae, vel ... diversas regiones appetentium inclinatione, vel ex suae productionis condicione. Non primo modo, cum non sit composita ex materia et forma eo quod est forma simplex et indivisibilis. Nec secundo modo per idem. Nec tertio modo, quia ipsa non est de potentia materiae ad esse deducta, ut dictum est in primo articulo. Nec est ab agente naturali extrinsece corruptibilis, quia hoc forsitan videretur: vel ab inferente passionem, vel propter mutuam actionem et passionem, vel propter propriam passionem. Primum non impedit, quia excellentia intelligibilis non corrumpit intellectum sed potius confortat. Nec secundum, quia communicatio animae cum corpore non inducit in ea suae essentiae corruptibilitatem, quia non communicant in materia. Nec tertium impedit, quia intellectus non est virtus fatigabilis, immo quanto plus intelligit, tanto magis est promptus ad altiora intelligendum. Nec in ea reperitur alteratio corruptiva dirimens aliquid de natura subiecti. Nec experientia docet ipsam habere certam periodum suae durationis. Quare per sufficientem divisionem et negationem omnium partium, sequitur quod ipsa est forma incorruptibilis per naturam.

C 217rb

### <Conclusio 11>

**22.** Et ex ista propositione sequitur correlarie undiecima propositio ad considerationem primariam responsiva, videlicet forma reponens hominem in esse specifico non habet contrarium naturae propriae corruptivum. Ista conclusio appareat, quoniam quodlibet habens contrarium est corruptibile; sed forma reponens hominem in esse specifico non est corruptibilis; ergo nec habet contrarium suae essentiae corruptivum. Consequentia patet et minor per praecedentem conclusionem. Sed maior appareat, quoniam causatum(?) corruptibile habet contrarium, et per consequens omne habens contrarium est

---

235 naturali] naturale C

226 primo articulo] Cf. PETRI DE CANDIA, *Lectura in II Sent.*, q. 3, a. 1, n. 26-32 & 55-62.

234 primo articulo] Cf. PETRI DE CANDIA, *Lectura in II Sent.*, q. 3, a. 1, n. 55-62.

corruptibile. Consequentia patet, quia arguitur ab exclusiva ad suam universalem de terminis transpositis. Sed antecedens probatur, quia nihil aliud a corruptibili habet contrarium, quia quodlibet tale est incorruptibile et per consequens non habet intrinsecam repugnantiam nec etiam extrinsecam, quare per consequens nullam contrarietatem, et ita habetur propositum.

**23.** Quidam tamen duabus viis volunt praefatam conclusionem inducere, videlicet quod anima sit incorruptibilis per naturam. Primo per hoc quod non habet contrarium etc.; sed quodlibet corruptibile habet contrarium; ergo propositum. Assumptum probant per hoc quod formae quae sunt contrariae in anima, nullo modo sunt contrariae. Nam albedo et nigredo sunt formae contrariae, et tamen in intellectu ipsarum species nullam habent contrarietatem, et ex hoc sequitur quod non est contrarietatis subiectum; et ita habetur propositum.

**24.** Secundo arguunt ex appetitu felicitatis, quia naturaliter appetit felicitatem, et iste appetitus non est frustra; ergo sunt ex natura propria incorruptibles, et per consequens nullam habentes contrariuim.

C 217va

**25.** Sed licet conclusio inducta sit vera, tamen rationes istae non sunt sufficietes. Prima namque deficit, nam per hoc diceretur quod aer esset incorruptibilis per naturam, quod falsum est, quia diceretur similiter quod non habent contrarium per hoc quod albedo et nigredo sunt formae contrariae, et ipsarum species sunt in eodem aere. Nec species sunt negandae, ut patet ex praecedente articulo. Ergo ratio non est sufficiens, et tota ratio est, quia accidentia quae suscipiuntur in subiecto solum alteratione perfectiva non habent contrarietatem ad invicem, et ita appareat quod cum species in eodem medio multiplicantur sine quacunque alterius rei corruptione multiplicantur, et ideo non habent annexam contrarietatem.

**26.** Secunda ratio deficit multipliciter. Primo, quia secundum hoc homo esset corruptibilis quia appetit felicitatem. Sed forsan DICITUR quod hoc est secundum illam partem quae debet perpetuari. Sed istud NON obviat, quoniam quodlibet individuum suo appetitu appetit semper esse, ut patet in animalibus brutis.

**27.** Sed dicitur quomodo ergo talis appetitus non est frustra? Dicitur quod individui appetitus est ad conservationem speciei et ideo non est frustra, quia ratio speciei est vel in ipso vel in suo simili, et ita naturaliter nullus convinceret per istam viam animam fore sine contrario et per consequens incorruptibilem per naturam.

---

285 sine] in add. sed del. et exp. C 291 animalibus] in naturalibus add. sed del. C

---

281 praecedente articulo] Cf. PETRI DE CANDIA, *Lectura in II Sent.*, q. 3, a. 2, n. ???

**28.** Et ideo processus praemissus est solerter intuendus unde nobis constat aliquid habere contrarium nisi ex effectu quem conspicimus in rerum corruptione. Quia igitur corruptio in his rebus naturaliter appetet per aliquam praedictaram viarum infra quas discurrendo per singulas anima intellectiva continetur, ideo simpliciter appetet quod suae perfectioni naturali non convenit habere contrarium corruptivum. Et in hoc ista prima consideratio sine ultero protractatione breviter capit finem.

305      **<Consideratio 2: An anima intellectiva habeat contrarium a fine retractivum. Conclusio 1>**

**29.** Habito igitur ex prima consideratione quod forma reponens hominem in esse specifico non habet contrarium suae essentiae corruptivum, nunc restat secundo considerare si habeat contrarium ipsius a fine proprio retractivum. Pro cuius declaratione septem pono conclusiones. Quarum prima sit ista: Potentia peccandi formae reponenti hominem in esse specifico existit intrinseca condicio naturalis. Ista conclusio sic probatur: omnis potentia cuius actus vel defectus imputatur alicui principaliter est intrinseca ipsius naturalis condicio; sed actus vel defectus potentiae peccandi principaliter imputatur homini ratione suae formae ipsum in esse specifico finaliter reponentis; ergo sequitur quod potentia peccandi est formae reponenti hominem in esse specifico intrinseca condicio naturalis. Consequentia patet. Et maior ex hoc appetet, quoniam ex hoc dicimus potentiam visivam esse in homine quia actus videndi homini principaliter attribuitur. Similiter ex hoc dicimus in homine existere potentiam intellectivam tamquam ipsius condicionem naturalem intrinsecam, quia actus intelligendi homini principaliter attribuitur. Si enim actus alicuius potentiae non imputaretur alteri, non iudicamus potentiam esse intrinsecam illi, sicut velle non attribuimus visivae potentiae, ideo nec eidem attribuimus condicionem potentiae volitivae. Quare maior illa videtur vera. Et minor appetet, nam cum homo dicitur peccare nulli potentiae tantum attribuimus peccatum sicut facimus parti rationali, immo ad ipsam tamquam ad principalem causam reducimus omne malum. Ergo sequitur quod tali potentiae principaliter actus peccandi sive per modum commissionis vel omissionis principaliter imputatur; quare propositum.

**30.** Praeterea, quam intrinsecum est animae intellectivae posse recte agere, tam intrinsecum est eidem posse culpabiliter operari; sed primum est sibi intrinsecum et naturale; ergo et secundum. Consequentia patet. Probo assumptum pro prima parte, quoniam

C 217vb

---

314 alicui] praesentialiter add. sed del. C 323 Si] est add. C

quando aliqua potentia respicit duos actus aequaliter indifferenter, non magis posse respectu unius est iudicandum tali potentiae intrinsecum quam posse respectu alterius; sed recte agere vel culpabiliter operari aequaliter indifferenter respicit quantum est ex parte sua potentiam volitivam sive animam intellectivam; ergo sequitur quod posse respectu cuiuscumque illorum est animae intrinsecum; quod est propositum. Sed minor probatur, videlicet quod posse recte agere sit intrinsecum animae, quia quaero: aut competit sibi per se, aut per accidens? Si primo modo, habetur propositum. Si secundo modo contra: tunc staret Deum facere aliquam intellectualem substantiam quae non posset bonum operari. Consequens est falsum, quia tunc talis non esset libera in actibus suis quoniam esset determinata ad alteram partem ex sua natura ad omnem actum. Nam ex quo non posset operari bonum, sequitur quod semper esset inclinata ad alteram partem, videlicet ad malum faciendum. Et ita sequitur quod libertas inesset rationali creature, non ex intrinseca naturae condicione, sed potius extrinsece et per accidens, quod non videtur verum; quare propositum.

340

345

350

355

360

365

370

375

## &lt;Conclusio 2&gt;

**31.** Secunda conclusio est haec: potentia peccandi non existit in anima intellectiva formaliter ex lege contradictionis libertatis. Volo dicere quod non ex eo quod anima intellectiva vel sua potentia volitiva dicitur contradictione libera in agendo est in ipsa formaliter potentia peccandi. Ista conclusio taliter intellecta sic probatur: quoniam dato opposito conclusionis, sequitur in quocumque esset formaliter contradictionis libertas, in eo esset potentia peccandi. Consequens est falsum, ergo et antecedens. Et consequentis falsitas apparent manifeste, quoniam in Deo est contradictionis libertas, cum ipse summe contradictioniae libere agat ad extra in quo nulla est possibilis peccandi potentia. Sed consequentia illa probatur, quoniam si ex hoc est in aliquo potentia peccandi quia in eo est contradictionis libertas, sequitur quod ista est formalis consequentia ‘in eo est contradictionis libertas, ergo in eodem est potentia peccandi’. Cum igitur de Deo necessario verificatur antecedens, sequitur quod de eo necessario verificaretur consequens, quod tamen falsum est et impossibile; quare propositum.

**32.** Praeterea, nulla denominatio perfectionis simpliciter includit formaliter aliquam imperfectionem; sed contradictionis libertas est denominatio perfectionis simpliciter; ergo contradictionis libertas non includit formaliter aliquam imperfectionem. Cum igitur potentia peccandi includat formaliter imperfectionem, sequitur quod contradictionis libertas non includit formaliter potentiam peccandi, et per consequens non ex eo quod aliquid est contradictione liberum, in

380 eo dicitur existere potentia peccandi. Consequentia patet et maior  
 principalis. Sed minor probatur, quoniam quaelibet ratio essentialiter  
 dicta de Deo est denominatio perfectionis<sup>398</sup> simpliciter, sed ita est de  
 libertate contradictionis; quare propositum. Tum etiam quia talis  
 libertas opponitur coactioni; sed constat quod melius est libertas suo  
 opposito; ergo propositum. Tum etiam quia in ratione talis libertatis  
 non connotatur aliqua difformitas, et per consequens adhuc sive sit  
 denominatio perfectionis simpliciter sive non, indifferens est ad  
 rationem includentem deformitatem; quare propositum.

C 218ra

**<Conclusio 3>**

390     **33.** Tertia conclusio est haec: potentia peccandi formaliter inest  
 animae intellectivae prout suae contradictioniae libertatis condicio in  
 dependentia radicatur. Ista conclusio sic probatur: potentia peccandi  
 inest animae intellectivae formaliter, aut ergo sub ratione intellectus  
 formaliter, et hoc non, cum talis sit potentia naturalis. Nec sub ratione  
 395 memoriae per similem rationem. Ergo oportet quod hoc sibi conveniat  
 ex quo est sibi ratio intrinseca sub aliqua ratione libertatis. Et hoc non  
 sibi convenit sub ratione libertatis sumptae communiter ut vult  
 praecedens conclusio. Nec etiam sibi competit sub ratione libertatis  
 infinitae, tum quia Deo non competit qui est infinita libertas, tum quia  
 400 tali naturae infinitas repugnat; ergo oportet quod hoc sibi competit sub  
 ratione libertatis dependentiam includentis; quare propositum.

405     **34.** Praeterea, si esset aliqua voluntas per imaginationem creata  
 et infinita, adhuc non necessario conformaretur divinae voluntati, et  
 ita per consequens posset peccare. Quaero igitur unde sibi provenit  
 posse peccare? Aut ex ratione libertatis sumptae communiter, et hoc  
 non; aut ex ratione libertatis infinitae, et hoc non, quia Deo etiam  
 410 competit. Oportet ergo quod hoc sibi conveniat vel ratione annexae  
 dependentiae vel limitationis, et in tali casu ratio limitationis non esset  
 causa concurrens cum voluntate ad hoc quod in ea sit potentia  
 peccandi. Ergo sequitur quod potentia peccandi generaliter inest  
 secundum rationem suam formalem prout includit contradictioniae  
 libertatis condicionem in dependentia radicatam; quod est propositum.

**<Conclusio 4>**

415     **35.** Quarta conclusio est haec et ex praemissa quodammodo  
 correlative sequens: immensitas divinae potentiae non potest aliquam  
 substantiam intellectualem producere impeccabilem per naturam.  
 Haec conclusio sic probatur: impossibile est Deum aliquid producere  
 sine eo quod est sibi intrinsecum et essentiale; sed potentia peccandi  
 est de ratione intrinseca cuiuslibet dependentis intellectualis

---

<sup>398</sup> praecedens conclusio] Cf. supra n. 31-32.

substantiae in esse possibili vel reali; ergo propositum. Consequentia et maior patent. Sed minor probatur, quoniam potentia peccandi ex prima conclusione inest animae intellectivae ex intrinseca condicione naturae; sed hoc inest intellectivae creatae per rationem contradictoriae libertatis in dependentia radicata. Cum igitur non sit possibile aliquam intellectualem substantiam citra Deum absolvit a condicione dependentiali, sequitur quod cuilibet creature rationali intrinseca est peccabilitas per naturam; non ergo per quamvis potentiam potest fieri impeccabilis per naturam; quod est propositum.

**<Rationes aliorum doctorum>**

**36.** Sed quidam doctores praemissam conclusionem tribus rationibus<sup>C 218rb</sup> nituntur demonstrare. Prima ratio est haec: omnis voluntas quae in agendo et operando non est regula suae actionis sed habet aliam regulam superiorem se, potest ab ipsa regula deviare; sed omnis voluntas creata est talis voluntas quae in agendo et operando non est regula suae actionis; sed habet regulam superiorem se; ergo propositum. Consequentia et maior patent. Et minor probatur, quoniam nulla voluntas creata potest esse regula sui ipsius; quare propositum.

**37.** Praeterea, quaelibet potentia habens aliquod obiectum adaequatum potest in quodlibet contentum sub illo obiecto; sed obiectum voluntatis est bonum vel apprens bonum; ergo voluntas potest tendere in quodlibet istorum; sed ex hoc quod potest tendere in minus bonum derelinquendo maius potest obliquari; ergo voluntas ex ratione sui obiecti non potest fieri impeccabilis per naturam. Consequentia et maior patent, et minor similiter; quare propositum.

**38.** Praeterea, quodlibet quod ex natura propria potest deficere, non potest fieri impeccabile per naturam; sed quaelibet voluntas creata ex natura propria habet quod possit deficere; ergo nulla talis potest fieri impeccabilis per naturam. Consequentia patet. Et maior ex hoc, quoniam si aliquid fieret impeccabile per naturam, ex natura propria nullatenus tenderet in non esse. Et minor apparet, quia creatura si naturae propriae relinqueretur, statim flueret in non esse; quare etc.

**<Contra istas rationes>**

**39.** Sed absque dubio, licet istae rationes videantur probabiles, tamen propositum non convincent. Prima namque non, quia diceretur quod non oportet quod si aliquid non possit esse sibi ipsi prima regula quod propter hoc non possit esse impeccabile per naturam. Sicut, verbi gratia, intellectus non est sibi ipsi regula, sed dirigitur secundum dictamen primorum principiorum, sive in practicis sive in speculativis

---

**455** Prima...non<sup>2</sup>] Cf. supra n. 36.

- 460 appetet quibus necessario conformatur. Similiter, sumpta aliqua creatura beata cum omnibus suis habitibus ipsam redentibus beatifice deiformem, talis non est sua regula, et tamen ut sic adhaeret primae regulae de necessitate; et per consequens appetet quod fundamentum primae rationis non videtur necessarium; quare propositum.
- 465 **40.** Secunda etiam ratio non concludit, quia si illa esset bona causa propter suum obiectum, cum ipse Deus etiam se extendat ad omne volubile ad quod se extendit creatura, sequitur quod etiam Deus posset deviare, quod falsum est. Non ergo istud fundamentum verum est. Similiter creatura beata habet idem obiectum quod viator quoad 470 communitatem obiecti, et tamen non sequitur propter hoc quod talis creatura in beatifico statu possit deviare; quare propositum.
- 475 **41.** Tertia etiam ratio parum valet, quia supponit quod ratio creationis sit causa defectabilitatis in agendo, quod non videtur verum, quoniam stante beatitudine beati in patria recte agunt, nec agere possunt oblique stante tali statu. Et tamen ita ex condicione creationis tendunt in non esse quantum est ex parte sua sicut faciunt aliae creaturae. Similiter actus operandi bonum ex se non ponit defectibilitatem in agendo, et tamen habet in se condicionem creationis, nam actio voluntatis manens recta actio habet condicionem 480 creationis; quare videtur quod nec ista nec rationes praecedentes propositum probant.

C 218va

**<Rationes Ioannis Duns Scoti>**

- 485 **42.** Doctor tamen Subtilis addit ad hoc duas rationes. Quarum prima consistit in hoc quod omnis voluntas potest appetere commodum suum, quia istud convenit omni appetitui sequenti cognitionem; sed in quolibet appetitu in quo non necessario coniunguntur ista duo, videlicet ipsa voluntas et appetitus sui boni, talis appetitus potest deficere. Cum igitur ita sit quod in nulla voluntate, prima excepta, ista necessario coniunguntur, sequitur 490 propositum. Minor ista probatur, quoniam nulla voluntas citra primam, ex eo quod appetit, recta appetit. Et per consequens ista in ea non necessario coniunguntur, videlicet appetere et recte appetere, et ita stat oppositum unius cum alio, et ita non potest fieri impeccabilis per naturam.

---

**465** ratio] regula *sed corr. C*

---

**465** Secunda...ratio] Cf. supra n. 37. **472** Tertia...ratio<sup>1</sup>] Cf. supra n. 38. **483**

Doctor...Subtilis] Cf. A. B. WOLTER, *Duns Scotus on the Will and Morality*, p. II: The Will and its Inclinations (Washington D.C., The Catholic Univ. of America Press, 1986, p. 178-182).

**43.** Praeterea, quaelibet voluntas quae non potest satiari in aliquo bono nisi sit infinitum, non potest quietari nisi in bono infinito; sed voluntas creata non potest in se ipsa satiari cum sit finita; ergo sequitur quod quodlibet bonum sibi ostensum potest illud appetere sub ratione infiniti, et ita in nullo necessario quietatur, et per consequens a quolibet tali potest deviare; numquam igitur fieri potest impeccabilis per naturam. 495  
500

**<Contra rationes Scoti>**

**44.** Sed nec istae rationes propositum in rei veritate de necessitate concludunt, quia diceretur quod staret quod ista duo in aliqua tali voluntate essent necessario coniuncta, videlicet appetere et recte appetere; et hoc ex condicione licet non absolute, sicut grave positum et suae naturae relictum habet coniungi deorsum et nullo modo separari. Sic in proposito diceretur quod staret eo ipso quod aliqua talis voluntas esset quod ex sui natura recte appeteret et sic esset impeccabilis per naturam, sicut nunc dicimus de animabus beatis per gratiam. 505  
510

**45.** Nec secunda ratio convincit, quia diceretur faciliter quod si aliqua talis voluntas produceretur quod eo ipso quietaretur in bono infinito, nec ad aliud tenderet sicut grave eo ipso quod ponitur in esse nisi extrinsece sit impeditum habet quod sit deorsum. Sic igitur 515 appareat quod praedicta conclusio per rationes huiusmodi non posset sufficienter probari, licet prima ratio quam adduxi praesupponit unum, videlicet quod potentia peccandi sit intrinseca creatae voluntati, quod quamquam sit verum pro statu isto, tamen ex hoc non sequitur quin Deus posset facere aliquam aliam creaturam cui talis potentia non corresponderet. 520

**46.** Et igitur praemissa conclusio potius tenenda est propter venerationem sanctorum qui dicunt soli Deo hoc esset proprium quod sit impeccabilis per naturam, quam per rationes adductas licet sint probabiles rationes. Unde Anselmus, II *Cur Deus homo* cap. 10, 525 respondens discipulo ab eo quaerenti cur Deus non potuit facere creaturam impeccabilem per naturam, dicit non potuit ipsam facere Deum; quare propositum.

**<Conclusio 5>**

C 218vb **47.** Quinta conclusio est haec: voluntas creaturae rationalis se ipsam impedit ne finem proprium consequatur. Ista conclusio sic probatur: quoniam quaelibet potentia in cuius potestate dispositive 530

---

**503** istae rationes] Cf. supra n. 42.    **512** Nec secunda] Cf. supra n. 43.    **522** praemissa conclusio] Cf. supra n. 35.    **525** Anselmus] ANSELMI, *Cur Deus homo*, II, c. 10 (ed. F. SCHMITT, II, p. ???; PL 158, ???).

existit consequi suum finem, si non consequitur, ex parte sua provenit suum impedimentum; sed voluntas creaturae rationalis est huiusmodi;  
 535 ergo propositum. Consequentia patet et maior. Et minor apparet,  
 quoniam sequitur theologice ‘haec voluntas facit quod in se est, ergo  
 Deus dat ei gratia’, ex qua potest consequi suum finem. Et antecedens  
 est dispositio in potestate voluntatis, ergo et consequens. Ex qua  
 540 sequitur correlarie quod aliquid est sibi ipsi contrarium ne fine  
 proprium consequatur, patet loquendo de contrarietate secundo modo  
 dicta.

**<Conclusio 6>**

**48.** Sexta conclusio est ista: peccatum rectitudini caritativae contrarium voluntatem denominat suo fini formaliter inimicam. Ista  
 545 conclusio satis patet ex praecedente. Nam ex hoc voluntas efficitur suo fini inimica, quia avertit se a suo fine; sed ex hoc quod avertit se a suo fine peccatum consurgit in voluntate, et ex hoc voluntas denominatur peccatrix; quare propositum.

**<Conclusio 7>**

**49.** Ex qua conclusione sequitur septima quae satisfacit considerationi, videlicet quod aliquid est animae contrarium et sui  
 550 ipsius a fine proprio retractivum. Patet, nam duplex est retractivum contrarium animae a suo fine: unum defective, et aliud denominative. Primum est voluntas, secundum est peccatum sive ... divinae gratiae, quo peccato, anima denominatur a conspectu Dei elongata.

**50.** Sed quaeritur postquam peccatum est animae confitendum(?) quid diminuit de ratione animae, dico secundum sanctos quod dispositio ad bonum quae est quaedam habilitas, non ut dicit potentiam naturalem, sed potius quamdam facilitatem potentiae  
 560 naturalis, et hoc est in naturalibus vulnerari. Secundo diminuit habitus gratuitos ex Dei munere infusos. Et per hoc apparet quod animae multum contrariatur et est a suo fine impeditivum.

**51.** Sic igitur apparet quod etsi animae intellectivae nihil sit contrariuum suaे essentiae corruptivum, est tamen aliquid contrarium  
 565 ipsius a fine proprio retractivum. Et per consequens apparet quid est dicendum ad istum tertium articulum et per consequens ad totam quaestionem, cuius pars affirmativa est rationabiliter profitenda, videlicet quod forma reponens hominem in esse specifico est intellectualis entitas incorruptibilis per naturam.

---

558 dispositio] dispositione sed corr. C 569 naturam] nam add. sed del. C

- 52.** Ad argumenta in contrarium facta respondeatur. Ad primum, cuius radix in hoc consistit quod anima intellectiva est de potentia materiae ad esse deducta, per hoc quod ex actione agentis naturalis, nam agens quod inducit totam dispositionem praeviam ad inductionem alicuius formae, inducit illam formam; sed ita est in proposito; ergo intentum. Ad radicem istius rationis potest responderi tripliciter. C 219ra Primo dicendo quod non oportet si aliquod agens attingit<sup>575</sup> virtute propria totam alterationem praeviam ad inductionem alicuius formae quod inducat illam formam, et ratio est, quia stat quod tota alteratio prima non excedat virtutem activam alterantis, et tamen forma requirens ad sui productionem alterationem huiusmodi primae excedit totam virtutem activam alterantis, sicut apparet in calore qui potest in totam alterationem primam substantiae, et tamen non potest substantiam propria virtute producere. 580
- 53.** Secundo posset dici quod dato quod illa radix esset vera, tam diceretur quod agens, utpote calor, non potest virtute propria in totam alterationem primae requisitam nisi adsit virtus substantiae, et 585 ideo instrumentaliter se habet respectu productionis substantiae et non principaliter nec in termino nec in dispositione ad terminum. Et ita posset dici quod in productione hominis principaliter se habet Deus, et secundario et quasi instrumentaliter ipseae causae secundae. 590
- 54.** Tertio posset dici, et meo iudicio rationabilius, quod illa radix est vera ubi forma praexigit illas dispositiones ex sua natura, ita quod finis talium dispositionum formaliter sit ipsa forma, ut patet in generatione formae mixtae, et sic de aliis formis quae producuntur per transmutationem. 595
- 55.** Sed in proposito non est verum quod anima intellectiva inducitur ab extrinseco, videlicet ex datore formarum, et 600 ideo ipsa formaliter non est finis talium dispositionum, licet tunc cessent esse in infusione animae intellectivae.
- 56.** Et cum DICITUR quod secundum istam responsionem periret omnis modus probandi aliquam formam educi de potentia materiae, hic DICO quod non oportet, quia medium per quod potest hoc probari est in generali inductio per transmutationem. Sed absque dubio quando hoc esset vel quando non, difficile esset illud demonstrare, quia leviter diceretur quod talis forma a Deo producitur. Tamen attendendum est si formae condicio excedat totam rationem principii materialis, et ubi sic invenitur potest dici rationabiliter quod non educitur ex potentia materiali, ubi non reperitur oppositum, non

---

580 prima] mg. C

---

571 Ad primum] Cf. PETRI DE CANDIA, *Lectura in II Sent.*, q. 3, a. 1, n. 1.

610 oporteret ad illam responcionem recurrere, quamvis tenens oppositum non posset demonstrative convinci.

**57.** Ad secundum cum dicitur quod forma, cuius operatio dependet a corruptibilibus, non potest ponи incorruptibilis per naturam, talis autem est anima intellectiva; ergo propositum. Et minor appetet 615 per illud dictum Philosophi, III *De anima*, “necessario est quemlibet intelligentem phantasmata speculari;” quare intentum. Hic dico pro materia argumenti quod aliquam potentiam in sua operatione ab aliquo corruptibili dependere potest ad praesens duplicitate intelligi, videlicet excitative vel exercitative. Volo dicere aut ita quod corruptibile sit 620 medium excitandi talem potentiam, aut quod sit instrumentum quod talis potentia egreditur et exerceat suas operationes.

**58.** Ad propositum igitur dico quod primo modo verum est pro statu isto quod talis forma dependet a corruptibilibus, sed ex hoc non sequitur quod non sit incorruptibilis per naturam. Si vero intelligatur 625 secundo modo, negaretur quod anima intellectiva dependeret a corruptibilibus. Nec sic est sensus auctoritatis adductae, sed tantummodo primo modo intelligitur auctoritas praelibata.

**59.** Ad tertium cum dicitur quod quaelibet forma habens contrarium est corruptibilis per naturam; sed talis est anima intellectiva; ergo propositum. Probabatur minor per hoc quod quaelibet natura citra primam est defectibilis et tendens in non esse, ergo habens contrarium. Hic dico quod tendentia creaturarum in non esse non intelligitur quod habeat appetitum ad non esse seu intrinsece manuteneretur, immo rebus inest appetitus ad oppositum. Sed sic 630 intelligitur quod nisi ad esset manutenentia alicuius conservantis, non haberent unde possent subsistere, et hoc verum est; sed ex hoc non sequitur ‘ergo habent contrarium’. Verumtamen iuxta distinctionem de contrario, videlicet naturae corruptivo et a fine retractivo, appetit per tertium articulum quod etsi animae non sit primo modo contrarium, 635 est tamen secundo modo. Sed ex illa non sequitur ‘ergo est corruptibilis per naturam’, sicut non sequitur ‘habet contrarium a fine proprio retractivum, ergo habet contrarium suae naturae corruptivum’. Sic igitur appetit qualiter est ad praemissam quaestionem dicendum. Et sic cum Dei adiutorio ista supra II<sup>o</sup> tertia quaestio et nona in ordine 640 terminatur. Deo gratias.

Explicitunt tres quaestiones super II<sup>o</sup> libro *Sententiarum* per reverendissimum magistrum Petrum de Candia in lectura Parisiensi

**612** Ad secundum] Cf. PETRI DE CANDIA, *Lectura in II Sent.*, q. 3, a. 1, n. 2.

**615**

Philosophi] ARIST., *De anima*, III, c. 8 (Г, c. 8; 432a 8-9). **628** Ad tertium] Cf. PETRI DE CANDIA, *Lectura in II Sent.*, q. 3, a. 1, n. 3.

laudabiliter recitatae. Sequitur super III<sup>o</sup> libro Sententiarum per eundem et ibidem. Incipit collatio.